





1787, 20.

DE
IVRE ASYLI LEGATORVM
SECVNDVM IVS GENTIVM
ABSOLVTVM DV B I O

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTO RITATE

P R A E S I D E

D. CAROLO GOTTLOB ROESSIG

PROF. PHIL. P. E. ADVOCATO ELECTORALI IMMATRICVLATO, SOCIETATIS OEC. LIPS.
ET APIARIAE LVSAT. SVPER. MEMBRO HONORARIO, NEC NON HASSO-HÖMBVR-
GICAE CVM REGIA SVEC. HOLMIAE ET BAVARICO-PALAT. BVRGHVSANA
MORVM ET OECONOMIAE IVNCTAE SOCIO

D. V. SEPTEMBR. A. G. c1787

DISPVSTAT AVCTOR

FRIDERICVS IOSVA GIDEON ROESSIG

MERSEBVRGENSIS.

L I P S I A E,
EX OFFICINA BVESCHELIA.



PERILLVSTRI, GENEROSISSIMO

ATQVE

EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO

FRIDERICO ADOLPHO
DE BVRGSDORFF,

EPISCOPATVS MERSEBVRGENSIS CANCELLARIO,

SER. ELECT. SAXON. A CVBICVLO COMITI

CET. CET.

PATRONO SVMME VENERANDO

PIVS

FRIDERICVS GIDEON IOSVA ROESSIG.

FRIDERICVS GISEPHVS ROEHLIG

FRIDERICVS GISEPHVS ROEHLIG

DOMINO

FRIDERICVS GISEPHVS ROEHLIG


DE BRUGSDORFF

FRIDERICVS GISEPHVS ROEHLIG

FRIDERICVS GISEPHVS ROEHLIG

FRIDERICVS GISEPHVS ROEHLIG





Gravissimis sane privilegijs Europae gentibus legatorum personas exor-
nare placuit, ut fere regia dignitate incedant. Sanctitatis, liberi sa-
crorum privatorum exercitii, immunitatis a vestigalibus, fori et asyli iure
fruantur; quae omnia ex iure gentium repeti consueverunt. Sunt vero
mores nostri, non leges iuris, quod inter gentes obtinet; quod et doctores
fenserunt et principes: inde de quocunque fere doctrinae de legatis capite
prolixae sunt obortae controversiae, principesque, qui mox apud alias civi-
tates pro legatis suis hoc vel illud ius postularunt, mox aliorum populorum
oratoribus in suis aulis idem competere negaverunt.

Ad naturam revertamur et veritatem inveniemus. Adspiciamus quae-
so legatum illum gentis, quae sub silvis degit, furculo viridi, qui pro omnibus
fiduciae litteris est, prodeuntem, ut pacem proponat; de vita sua desperans
toto corpore trepidat, nil honorum nisi vitam salvam postulat. Videamus
ex altera parte splendidum et solennem legatorum nostrorum adventum, ni-
tidumque eorum comitatum, omnes in eum collatos honores, omnes quos
sibi impavido fronte adhuc arrogat, quibusque ipsam imperii nostri maiesta-
tem circumscribit! Ad talem semideum vanitas simulque imbecillitas gen-
tium barbarum nudumque illum hominem evexit, ut nunc personam opi-
nionis suae exuere vix audeat. Consteamur, populos fines et in hac
re nimis longe transgressos esse, cum potius ultimis ambabus, quas scripsi-
mus, evitatis lineis, media via tenenda esset. Esse enim quaedam cre-
do, quae legatis iure debeamus; quaedam, quae ex civilitate concedere
possimus; quaedam vero denique, quae negare et eripere fas sit, licet instituta
et vincula quibus respublicae nostrae coniunctae sunt, respiciamus.

§ II.

Ius asyli legatorum, quod et ius Quarteriorum, Franchiciarum s. Fran-
chisiae audit, est ius, vi cuius legatorum palatia, immo et vicinae domus a
iurisdictione civitatis exemptae esse affirmantur, ut delinquentibus cuiuscun-
que generis refugium praebeant, ex quo eos repetere non liceat.

Doctrina de asylo legatorum in duas partes facile dividitur, quarum pri-
ma, an ius asyli aperiendi legatis competat? altera vero, quid principi vel
reipublicae in legatum, qui iniuria fontem recepit, liceat?

§ III.

Merito, si principia iuris gentium simplicia attendimus, miramur, trans-
actio et nostro seculo tot de hoc asyli iure enatas esse contentiones. Non vi-

debant principes, si legatis concederent, maiestate sua minui? oratores non iniquam postulationem? quae si unquam concedenda foret, sola ex voluntate principis expetenda. Omnes enim sine dubio in eo consentiunt populi, quod ius naturae docet, gentes illimitata in terris suis libertate frui, quamdiu non pactis libertatem minuerint. Quin certissimum est, eum tantum, penes quem legislatoria potestas in civitate est, qui poenam delictis praescribit, vimque puniendi habet, aut cui exercitatoria tantum commissa, quae et ius condonandi includit, poenam remittere posse, et quod idem est, cum asylum fontem tueatur, locum privilegio munire, in quo ultionis iustitiae manus effugere possent rei. At vero non intelligo, quo iure populus sibi sumere possit, ut in territorio meo, proprio ausu et me invito, fontes poenae subtrahat asylo, legesque et maiestatis meae sanctitatem graviter laedat?

§. IV.

Vnicum hocce idemque simplex iuris gentium argumentum, quod protulimus, cuius nuda veritas meridiano sole clarius oculis patet, sufficere potuisset, populis eorumque oratoribus, ut ius asylo sibi arrogandi intelligerent, locum non invenire, nisi nova et arctiora vincula inter gentes orirentur, nisi a recta veritatis via malo minutiarum genio seducti, qui nostrum negotiorum genium retardat, aberrare in labyrinthum configentium principiorum maluissent, ex quo non nisi maxima priorum calumnia prodire possint. Iam vero audiamus argumenta, quibus asyllum defendunt, et quae non parvam veritatis speciem prae se ferunt.

Acerrimis inter recentiores *) asylosum defensor est a Real, politices alias non contemnendus auctor, maxima cum fiducia affirmat, palatia legatorum contra iustitiam asyllum praebere, omnibusque temporibus et apud omnes gentes in usu fuisse, quod iure exceperint reos confugientes **). Argumentum, ad quod omnes legati provocarunt ***). Sed dum annales gentium evol-

*) Post Kulpisium in Tract. de Legat. Stat. C. 20. §. 11. et Hobbesium. Sunt enim, qui in totum legatis hoc ius tribuant, omnesque Gallorum eruditi hanc sequuntur sententiam; sunt qui finibus quibusdam circumferant.

**) Real Staatskunst S. 240. Wie kann jemand, dem der Gebrauch aller Zeiten und aller Länder bekannt ist, zweifeln, daß die Häuser der Gesandten keine unverleglichen Freystätte wären? "

***) Ut unum tantum afferam exemplum: L'hôtel d'un Ministre étranger doit être à l'abri de toute insulte, & doit jouir du droit d'azyle, selon le sentiment des plus habiles Jurisconsultes, tant que ce droit n'est point aboli par un consentement mutuel,

evolvimus, contrarium paene invenimus. Incultiores antiquitatis gentes praetermittamus, et apud principes populos, Graecos et Romanos puto, morerur. Sancta et inviolabilis iis legatorum persona erat, eum, qui legatum offenderat, ipsi aut populo tradebant; *) civilitatis quoque officia implebant, honoribus haud parvis, loco in ludis scaenicis honoratiori, domo viduque publico, immunitate a vestigalibus **) ornabant, &c. Nunquam vero si instam sibi postularunt asyli et iurisdictionis libertatem. Severiores enim populi veteres maiestatis suae erant vindices, adeo ut talem libertatis laesionem non passi fuissent, cuius rei causam in eo deprehendere videor, quod relaxiori viverent nexu.

Mores saeculorum illorum, quae tempora militiae equestris vocamus, praecipue legatosque nostrarum gentium huiusdem et praecipuis quibusdam iuribus incolentes inter hostes reddiderunt: id vero, quod legati asylum aedibus suis postularent, novissimis tantum saeculis debemus, quae sine dubio ex eo nata consuetudo, quod a legatis Pontificis, ab Episcopis, a Cardinalibus ***) (qui adeo Romae hoc sibi vindicarunt) reos impune receptos aedibus viderent, levi quidem sed tamen meliore iure, quam Papa ecclesiae caput, Deique locum tenens ad subditos quasi spiritualibus rebus oratores mitteret, haec vero subiectionis conditio inter principes liberos locum non habeat.

At vero, licet exempla proferri possint, gentes iurium suorum talem laesionem, quae est, si alius iurisdictioni fontem subtraxerit, aequo tulisse animo, in praescriptione acquiescentes; tunc inter hos tantum populos in ius abiisset, non vero adeo verum, ut apud omnes populos sumant sibi oratores. Nec usus, inter gentes ius ponit, nec praescriptio, quae iure civili tantum obtinet (ut reipublicae consulendae causa dominia certa fiant) iura enim in populos non nisi armis et pactis nanciscimur.

§. V.

Aliud vero habent, quo asylum propugnant, argumentum, quodque gravissimum esse dicunt: †) reum, qui confugerit ad legatum, tacite quasi

A 3

in

*) Vid. l. 17. de legation. l. 7. ff. ad leg. Juliam de vi publ.

**) Lex 8. Cod. de vestigal. et commissi.

***) Dum Urbani V. tempore Cardinales ius asyli usurpabant.

†) Real Staatskunst: „Gesandte und ihr Gefolge sind frey von der Gerichtsbarkeit des Hofes, wo sie sich aufhalten; nun aber schenkt es, dass ein Uebelthäter den sie beschützen, einen Theil ihres Gefolges ausmache: also ist auch dieser den Gerichten des Landes nicht mehr unterworfen.“

in eius comitatum receptum esse, in quem vero iurisdictio non principi, apud quem degat orator, competat.

Maxima vero adhuc inter doctores de foro competente legati dissensio, minimeque in eorum favorem decisa, qui dominum legati unicum iudicem asserunt, ut argumenta inde possint sumi. *) At paulo arctius inquiramus, qua ratione iurisdictio, quam affirmant, competat legatis. Hanc forte non nisi a domino suo habent. Quomodo vero hic iurisditionem in alieno territorio et in subditos peregrinos, quam ipse non habet, exercendam dare possit? Quis populus oratorem his conditionibus ad se missum exciperet, quum eius admissio sola ex voluntate pendeat?

In viliores igitur comitatus homines, cuiuscunque officii servos et ancillas puto, quas ut privatus alere potest, extensioem vim potestatemque non habebit legatus, quam domi exercet. Si quis horum contra leges reipublicae, in qua degit, quid patraverit, summo iure iudex hunc castigabit et punit. Quod ad nobiliores comites atinet, a principe ad honorem dignitatemve reipublicae sustinendam datos, e. g. equites honoris causa datos (*Gefandtschaftscavalier*) &c. nullam hos loci iustitiae subtrahendi inveniri rationem reor; multaque proferre possem exempla, legatos nobilioris notae comitem, qui quendam occiderat aut simile quid deliquerat, tradidisse vel potius ad tradendum coactos esse. **)

Satis

*) Plura vid. apud Cocceios viros cel. patrem et filium, de legato sancto non impuni, in Grotio illustrato p. 404. *Camerich von der Unverletzbarkeit der Gesandten*. Bynkershoek de iudice compet. legat. de Scharden de iudice legat. *Defendit von Real Staatskunst* Tom. V. Lib. Baro de Pacassi *Einl. in die Gesandtschaftsrechte* hoc tit. Grotius de I. B. & P. Lib. II. c. 18. § 4. Ioh. a Felden in Annot. ad h. I. Ulr. Huber de civitat. Lib. 3. Sect. 4. cap. 2. de legat. §. 25.

**) Exemplum huius rei primum omnium apud Pacassium invenies. Paul. Leon de Spa, Comes de Penagion, frater legati Lusitani, Londini Anglum petulantiter confoderat. Surgit populus, Cronwelius vim metuens tradi iubet occisorem: incassum frater fratrem defendere studet, tandem traditus capite plectitur.

Novissimum, quod quae enunciamus prober exemplum, nostris temporibus accidit, omniumque memoriae adhuc inhaeret. Comes a Guerchy, Gallorum regis apud Anglos legatus, et Eques ab Eon. huic a secretis datus, variis ex causis, quas allegare non interest, invisit sibi sunt, multis sibi invicem in aula Gallica insidiis paratis, amicis et forsitan iure potentior vincit Comes. Eques furore concitatus omnem nexum, quo regi suo deditus est, rumpere et intima quaeque secreta prodere, pacem eam et personas et vim pecuniae publicare. Coram iudice silentium huic non imponere, sed calumniosum declarare tantum placet aulae. Quam ut contumeliam averterat, causam se esse probaturum declarat.

Satis huiuscemodi exempla probant, populos legum suarum contemptum non impune ferre, nec ab iurisdictione loci liberos dicendos esse oratores. Regem Gallorum quoque non multa, quam de fracto gentium iure, quae solita sunt, ad defensionem protulisse constat.

Quod si quoque de eo, in quo adhuc contradiximus, consensissent doctores convenissentque reges, competere legatis iurisdictionem, hoc de iure in comites delinquentes tantum statuendum esset; ex quibus autem rationibus et subditos subiectos dices? Dummodo quendam haberent colorem! Tacita inter comites receptio non sufficit, et si expressè famulum declaraverit legatus, hac delinquentis fuga principi ius eum puniendi nequam eripi posse credo, cum tempore criminis commissi non comes legati, sed subditus reipublicae esset, quae a legato fontem repetere ac punire poterit.

Haec de infimae vel mediae classis populi delinquentibus, qui famuli fingi possunt. Quo vero titulo primi ordinis fontes, e. g. nobiles caet. tuebatur legatus? ut adest exemplum Ducis Rippergae, ministri Hispanici *), qui Madriti ad aedes oratoris Britannici conflugerat. Valde miror, quod Real hos non legati sed Domini sui comites futuros sinxit.

§ VI.

Fingunt deinde et Jcti, ut asylum probent, delinquentem, qui ad palatium conflugerit, ad populum quasi, vel ad principem, cuius personam sustentent legatus, se contulisse, adeoque legatorum aedes eodem iure gaudere, ac si principes ipsi, a quibus missi, easdem inhabitarent. **)

Ast.

clarat. Hac equitis declaratione tacent, tacet et mox noster, gravibus haud dubie commotus rationibus. Omnia tamen ipsi ab ira aulae suae timenda erant, sed bene cavet, ut facile colligi potest. Mox vero Comitem de beneficiis, quibus iste in propria domo interficere voluerit, publice accusat, quae accusatio testibus firmata coram rerum capitalium iudice, iuramento roboratur. Iudicium criminale his moveretur, quod vero potentissimi regis legatus extraordinarius nihil curare superbit, amicos exhorrantes deridet, praesidio characteris et singulari amicitia regis Britannici fretus. Interim in iudicium vocatur, ut fecerunt leges se ipsum listat. Hac, ut puto, dignitatis laesione irritatus maiestatemque populi Britannici Gallica norma emetiens, apud ministrum conquiretur, iocum expectans; sed quum et hic superet, valde perturbatur Comes. Dicit comparandi angustus est, omnia quae in hac sollicitudine fieri possunt, facit, dilationem paucorum dierum petit, quibus impetratis legatus extraordinarius de bona causa desperans clam in patriam fugit, ubi non longe post aegritonia mortuus est.

* Apud Pacassium Cuij. in die Gesandtschaftsrechte p. 269 sq.

** Cf. Wicquefort Lib. I. Sect. 28. §. 876. edit. Haag. 1681. C'est pourquoi en plusieurs Cours de l'Europe les Ambassadeurs vont mettre les armes de leurs maitres au-dessus de la porte de leur palais &c.

Ast primo non dubitandum, principem in alia republica morantem nullam quoque iurisdictionem habere, quum nulla regiae dignitatis iura principi iure stricto innata sint, (nescit enim natura reges) ut in quacumque gentem exercere possit, sed a populo suo collata habeat; hanc igitur, dum fines regni transgreditur, expirare necesse est. *) Equidem non me fugit, principes, qui apud exterum populum degunt **) ius asyli praetendisse sibi, rationibus vero, quas audire propter levitatem non interest.

His vero, qui ad populum peregrinum fugisse fingunt reum, respondendum esse credo: populum quidem delinquentem, qui in eius terras confugit, iure recipere posse, quum gentes liberae inter se praesumantur, easdem vero rationes defendere, ne populus nos in exercenda iustitia turbet, ipsique ius tribuere, omnes has iniurias, quibus laedere vellet, vi repellendi.

Tandem quoque minime probanda mihi videtur sententia, quamvis omnes iurisperiti definitionibus de legatis expresserint: legatum faciem principis vel gentis, si a pactis abstrahamus, sustentare.***) Ex ea enim tam perplexae iuris quaestiones, quae in hac occurrunt, tam stultae legatorum et principum afectiones et controversiae obortae videntur. Legatum principis mandantis personam non repraesentare, nisi aliter convenierint, sed negotia tantum eius populi sui gerere, semper putavi. Nihil contra me probant honores, quibus excipiuntur, haud contemnendi quidem, sed magnum adhuc discrimen interest, ut ritibus aulicis edocui satis scient, qui-

*) Notissima lis Suecorum reginae et Ludovici XIV. propter caedem Marchionis Monaldeschii oborta, pro utraque parte pugnarunt ICTi; nec dubium, regem hunc alias imperiosum, hanc maiestatis suae laesionem focminae tantum, non reginae indulgisse, quae et paulo post obiit. Omnes vero et Anglorum iurisperiti teste cel. ab Archenholz in libro Anglia et Italia inscripto Vol. II. affirmarunt, reginam, si accidisset in Britannia, ob caedem capitis accusatam et damnatam fuisse, solaque regis gratia a morte liberatam fore.

**) Eadem regina cum deinde Romae viveret, graves cum aula habuit contentiones de hoc iure, quae vero expressa renunciatione et postea morte sublatae sunt.

***) In universon id quidem de legatis, praecipue vero de primi ordinis oratoribus (*Ambassadeurs*) affirmant, unde maiorem honorum partem derivarunt doctores, quos tamen et ipse princeps in alterius terra vivens appetere non potest, nisi alter expresse concessit. Omnes enim honores, quos iis revera debemus, quos si auferemus, notionem legati solveremus, ex iure gentium repetendi sunt, et hos apud omnes terrae incolae habent, caeteros vero mos et usus variant.

quibus ipsi principes tractantur regno multo minores; quam qui potentiorum adfunt oratores. Id enim, quod quis faciem alicuius sustineat, proptereaque honores postulare possit, de eo tantum dici posse videtur, quem princeps dignitate sua amicum ad subditos mittit, quibus admissionis modum praecipere potest, quum imperium in hos habeat innatum aut saltem traditum; si vero legatum ad aliam gentem mitteret, ut personam eius agat, hoc, nisi pacta intercedant, non sine magno populi offenso fieret, dum liberum illum populum ad subditorum statum quasi deprimeret. Legatus negotia principis sui gerit et populi, sane munus splendidum et grave, quod adeo bello inviolabilem eum reddit; non vero inest huic notioni, ut personam repraesentet, quo libertates et honores postulet, sine quibus tamen et omnia ad exoptatum perducere potest finem, et quos ipsis principibus vix civilitas tantum concedere solet.

Aedes quoque legatorum non eodem iure gaudere ac si principes ipsi inhabitent, ex iisdem rationibus persuasum mihi habeo, cum hi ipsi, quid quid honorum in hac re plus habeant, ex gratia domini territorii tantum fruuntur. Esse quidem, si domos possideant, earum dominos non nego, sed salvo tertii iure intelligendum *); quod de his quoque dixerim aedibus, quas pro legatis suis aedificant vel emunt principes; causas enim, ex quibus tanta aedium suarum iura postulare possint, non videmus, ut vix ab oneribus publicis ipso iure liberis esse crediderim. Sanctitas enim, qua gaudet legatus, contra privatas laesiones, et primas a civitate in eum timendas aggressiones introducta, qua vero non omnis in eum, personam quasi hostilem, inspectio sublata est. Quodsi enim concederes, legatum domo sua omnia quaeque patrare posse, ne eam omnium criminum facinorumque sedem erigant, ex qua malorum agmen adultum in rempublicam irruere eamque pervertere possit, timendum esset. Princeps igitur facile defenditur, qui, quod legatur in suspicionem ipsi adductus est, in palatium introiret. Civitati licere adeo reor, legatos publicis aedibus collocare, ut mos apud veteres erat**), quamvis ab initio hi detrectent.

*) Wiquefort p. 376. Au reste l'ambassadeur doit jouir dans sa maison d'une liberté si grande, qu'il n'y ait personne qui y puisse contrôler ses actions.

Caveas, ne ex eo, quod in aedibus omnia pro lubitu facere possint, liberum religionis exercitium deducas, quod ex aliis rationibus, Thomasio adiutus, repetendum credo.

**) Veteres, qui legatum perpetuum nostrae politicae inventum ignorabant, populorum oratores aedibus publicis excipiebant, comitarum ipsis tribuebant, minus forsitan ut ornarent, quam honoris specie actiones eorum diligentius observarent.

§. VII.

Tandem, si ipsum legati munus perpendis, multum ex eo ipso sumere poteris, quo affectatum asyli ius profigare possis. A quocunque populo veniat, oculis acutioribus semper est persona hostilis *). Proponat foedera, connubia, pacta de adiuvando commercio, pacem petat, quaecunque eius sint negotia, omnibus inimici quid inest. Aeterno bello inter se vivunt gentes, mox flammis effervescente, mox sub favilla tantum gliscente. Quod aperto Marte eripi non poterat, negotiationum astutia obtinere meditantur.

Legatos perpetui muneris aequae minus asyli iura tribuere sibi posse, non dubito. cum in fiduciam amicitiae magis quam negotiorum gerendorum causa missi sint, ideoque maiora adhuc officia nobis debeant.

§. VIII.

Etsi in fensu asyli iuris nomine deposito, decentiorem miserorum illorum delinquentium patroni sumant titulum legati, qui magis saeculi genio blanditur, ut eundem finem nanciscantur, et hunc tamen recusandum esse puto. Si commoti misericordia causam reorum coram iudice agere, vel auctoritatem apud principem interponere velint, faciant, iustum pulcrumque est, hominis vitam servare; non vero ut domo detineant, necesse est.

§. IX.

Satis superque in iis, quae haecenus diximus, legatis iure gentium stricto nullo modo asylum competere probasse mihi videor, ut nullo hoste a tergo relicto, ad alterum quaestionis caput vires convertere possimus, quid nimirum principi vel reipublicae contra legatum, qui reum excepit, licitum sit? Hicque, causa ancipiti, licet reapse bona, doctores, qui et legatis asyli ius abnegarunt, aut plane aufugiunt, aut ut utriusque partis amicitiam captent, in dubio causam relinquunt. Sic Thomasius, Pacassius **), Moserus alii- que.

*) Veniam precor: non primus vos hostes putavi; en Voltarium telum! apud quem in tragoedia, Brutus, legisse memini:

L'ambassadeur d'un roi m'est toujours redoutable,

Il est un ennemi sous un titre honorable.

Haec ipse legatus (hoc enim honore apud Fridericum Borussiae regem functus) poeta cecinit; verissima igitur esse credo.

**) Einl. in die Gesandtschaft Brechre S. 255. „Man würde mir eine Meinung aufbürden, die ich nicht habe, wenn man glaubte, ich räume dem Lande das Recht ein, mit Gewalt in das Haus des Gesandten zu bringen, um die Uebelthäter aus selbigem zu reißen; das wäre gewiß eine wesentliche Beleidigung des selben.“ Hoc et ipsi legati praetendunt, v. c. Guldikens, legatus Anglicus, in literis ad regem Sueciae: „Il s'agit seulement de ce que la maison d'un ministre étranger ne peut être violente, quand même il s'opposeroit à l'extradition d'un

que. Communis horum sententia est, iudici non licere domus legatorum armata manu introire, sed delinquentes precibus ab iis repetendos, et, si recuset legatus, dominum eius ad eundem esse, ut traditionem iniungat.

§. X.

Ego vero ex iis, quae contra asylum protuli, apparitorum in aedes legati introitum, eoque minime oratorem laedi, nisi conventio adsit, defendere studebo. At vero adversariorum rationes perpendere necesse est, ut his remotis nostram stabiliamus.

§. XI.

Introitum hunc legatum eiusque principem graviter offendere contendunt doctores; quomodo vero eum, qui iniuria mea eripuit, ea repetendo offenderem? licet multum a modo dependeat, quo poscimus. Omnium, qui in civitate degunt, et peregrinorum quoque officium est, iustitiam adjuvare, aut non impedire saltem, (quod si enim facerent, optimum eos amovendi ius haberem) quae igitur, dum maleficos persequitur, neminem, nec legatum offendit, cui ius eorum recipiendorum tuendorumque non competit; a quo potius summo iure postulare possumus, ut reum, qui in aedes fugit, statim primus nobis vinculum tradat, id enim, quod usque ad repetitionem a nobis factam illum detinet, iam iam principem adeo mordere potest, ut huic, ex mea sententia, satis iustam legati avocandi causam praebeat. Ad quod accedit, quod palatia, quae inhabitant legati, reipublicae salutis causa aperta esse debeant; quomodo igitur hanc fontis repetitionem legati dominive sui laesionem dicere poteris?

Hic vero apparitorum introitus cum strepitu infenso, conviciis et vociferationibus coniunctus sit, non necesse est; omni potius, qua unquam decet, civilitate venient reumque captum secum abducent. Offensi ecquid huic actui inest? num licitorum facie legati dignitas inquinatur? legatum aedesque eius hac re non nisi ut nobilem aut primae notae munere distinctum virum aestimandum vult ratio reipublicae.

Bene equidem scio, principes, ex quorum legatorum aedibus erepti fontes sunt, de contempta dignitate, de fracto gentium iure conquestos esse, inferos superosve excitavisse, armaque parasse. Alteram vero partem de laeso ab legatis receptoribus hospitio, de maiestate in ipsis terris suis derisa

B 2

do-

d'un criminel, et que dans de pareilles circonstances le Prince auprès duquel ce ministre reside, n'auroit autre chose à faire qu'à en porter des plaintes au maître du dit ministre."

doluisse. Confestim et citatis equis *) avocatos fuisse legatos. Quid vero accusationum harum contentio numque eventus fuit? conticuerunt tandem, iniuriam passi sunt, et paulo post novos oratores sibi invicem miserunt.

§. XII.

At vero si legatus tacita vel expressi principis sui voluntate fretus delinquenti asyllum praebeus, tradere recuset, quid tum ageres, principia Moseri Pacalique secutus? A persona hostili laesus, vindictis maiestatis tuae manibus pueri instar ad eius dominum, editionem exoratum iras? Mira me hercle et bella liberi principis species! Egregie sane rideret ille litterarum supplicium adventum! — Vi et armis eripiendus est, ut maiestatem tueamur; haec vis enim tunc non aggressio, sed defensio iuris libertatisque nostrae est. Si maiestas reipublicae est, quod tertium actionum iudicem non agnoscamus, nonne, si dominum legati adiret, ad subiectae gentis gradum descenderet, quae apud dominum de damno ab interrege accepto conqueritur? Princeps a privato intra fines regni sui offensus, apud dominum, cuius iussu forsitan ille intulerat, ceu apud iudicem accusaret; hac ratione ius asyli huic competere quodammodo annueret; et si ponamus, legato traditionem ab aula ipsius iniungi, haec tanti offensi non tota reparatio, quod, ni valde fallor, non alio modo nisi propria vi repellendum expiandumque est. Quodsi vero legatum principis faciem sustinere crederes, sententiam meam non vinceres, actiones etenim oratoris tunc principi ita tribuendae essent, ut quasi ab hoc commissas legatumque domini loco poenas daturum statuere deberes**), solaque vindicta principi laeso maneret, quum dominus aggressor partes rei et iudicis simul agere non posset.

§. XIII.

Haec de oratoris laesione. Leges vero adhuc iuris gentium malefici ereptione frangi affirmant: aegre quod sane ferrem, nihil enim unquam primis naturae institutis sanctius habui. Evolvamus itaque venerabilem naturae codicem, in quolibet folio scriptum inveniemus, quemcumque sibi

*) Non iocose haec ad me inventa credas. Henricus IV. Galliarum rex, de legato suo apud Hispanos violato ita indignatus, ut confestim eum et citatis equis ab aula avocaret.

**) Iustin. Praebeam de Stat. legat §. 98. Si legatus suoapte ex ingenio, sine mandato aggressus sit scelus, remeritatis poenam solus luet; si domini mandata in id habeat, character ille praesentans tanto magis eum poenae subiicit, ut domini vice puniatur, cuius secretorum flagitiorum minister extitit.

simulac officiorum contentio inciderit, proximum, et quamlibet legibus his concedi defensionem contra laedentem. Quidnam vero gravius maiusque quaero habet officium respublica, quam in exercenda maiestate sui defensionem? civisque sui vindicatione, quem non ex alieno territorio repetit, ius gentium turbaret? Nec quoque sanctitatem et inviolabilitatem legati, uti doctores volunt, his principiis turbatam video.

§. XIV.

Postremo opponunt, introitu licetorum *) legatum in expediendis negotiis, si asyllum adimerent, impeditum iri. Speciosa admodum obieccio! sed quid veri insit, perferutemur. Lubentissime concedo, oratorem apertis causis morari non decere, at parat, quoties vult, bone Deus, absconditas insidias politica. Legatum vero asyli iure quoque privatam, gravissima tamen negotia peragere posse, eorumque gerendorum ordinem ipso hoc introitu haud interruptum puto.

Quodsi vero ex honoribus asyli caeterisque negotiorum retardationes metuendae sint tam multae, quare non recidimus sublato asylo haec impedimenta? Caeterum longa sane haec mora est hominem tradere, aut alio-ribus abducendum curare! Cui si se opponit legatus, etiamsi respublica tunc via a doctoribus hucusque imperata fontem ablatum repetere vellet, mandati expediendi condonationis culpa in eius caput cadit, primus se ipsum impeditur; cur enim recepit? quare non vinculum illico reddidit? Multo minus legatos perpetuos impediri affirmaverim, horum enim non admodum urgentia negotia brevibus intervallis interrumpi posse credo, quum honoris causa tantum morentur, et ancipitioribus causis extraordinarium adhuc legatum mittere soleamus.

§. XV.

Ex his omnibus patet, introitum apparitorum in legatorum palatia, delinquentium repetendorum causa, summo iure fieri posse, quod hoc, principum dignitati melius consulentes, humilem evitamus repetendi fontis modum. Quum enim legato omnibus perpensis rationibus haud competat asyllum,

B 3

*) Pacassi p. 269. „Die Unbequemlichkeit, welcher ein Gesandter ausgesetzt wäre, wenn man ihm das Zufluchtsrecht absperrte, scheint einigen Einfluß auf seine Geschäfte zu haben,“ quam sententiam et *Real* sequitur. Paulo post continet nos: „Es ist unstreitig, man muß öffentlichen Ministern keine Hindernisse in den Weg legen, damit sie ihre Geschäfte nicht zu Stande bringen können; denn welcher Hof würde eine solche Behandlung seines Gesandten gelassen ertragen?“

lum, reum confugientem igitur excipere, aut detinere, repetitionemque impedire non possit, summo territorii domino, delinquentis unico iudici competenti, et exceptione rei a legato offenso, introitus sine ulla oratoris eiusve domini laesione ut liceat, necesse est.

§. XVI.

Hunc vero introitum hac ratione instituendum esse puto. Apparitores iudicum auctoritate, certiores de fuga fontis ad aedes legati facti, venient, dicentes: se transfugam, quem hic latere scirent, repetitum adventasse *), captumque secum ducent. Hactenus, ut ego puto, legatus non laeditur. Quodsi vero legatus vel comites responderent, se plane nescire delinquentem ad aedes suas confugisse: quid tum facerent? Tunc investigatio domus a legato sine recusatione ipsis concedenda esset, maleficus enim in seio legato latitare, assumpta alia facie, posset, forsitan et multis ex causis non indicant, quum tamen praefens esset: ipsi vero et huic, si modo decenter sit, nihil offensis inesse crediderim. Quid vero tum, cum legatus fide data se non excepisse sceleratum, nec unquam excepturum esse affirmaret, iudices tamen vero huius fugam in aedes legati scirent? In intricata hac re exitum aperiendi, principibus nodos gordios solvere edocis cura tradenda; ne plane vero taceam, coniecturas tantum tentabo.

Si legatus fide sua data, honorem privatum quasi tantum tueri, hocque affirmare vult, quantum ipse sciat, huc non confugisse reum, hanc investigationem salvo honore legati fieri posse crediderim. Si vero verbo hoc interposito, aedium inquisitionem impedire veller, (quod facile diiudicandum foret) hoc ius nostrum maiestaticum, quo introire licet, turbare videretur, quod eo magis, quo impugnatum, nunc obtinendum, domusque itaque exploranda esset. Durum forsitan videri posset, honorem fidemque legati negligere; quodsi vero una ex parte honorem reipublicae cum fide oratoris confligentem, et ex altera adhuc periculum, quod timendum esset, si legatus v. c. perduellionis fontem absconditum negasset, perpenderit, facile hanc severitatem excusandam esse credo.

*) Caveant, ne plures adhibeant preces apparitores missi, his veterem repetendi modum enim servarent, legatoque ius excipiendi reos quasi tacite concederent.





ULB Halle

3

003 335 402



St.

V078





1787, 20.

DE
IVRE ASYLI LEGATORVM
SECVNDVM IVS GENTIVM
ABSOLVTVM DV B IO

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTO RITATE

P R A E S I D E

D. CAROLO GOTTLOB ROESSIG

PROF. PHIL. P. E. ADVOCATO ELECTORALI IMMATICVLATO, SOCIETATIS OEC. LIPS.
ET APIARIAE LVSAT. SVPER. MEMBRO HONORARIO, NEC NON HASSO-HOMBVR-
GICAE CVM REGIA SVEC. HOLMIAE ET BAVARICO-PALAT. BVRGHVSA
MORVM ET OECONOMIAE IVNCTAE SOGIO

D. V. SEPTEMBR. A. G. c1616ccxxxvii. 1787

DISPV TAT AVCTOR

FRIDERICVS IOSVA GIDEON ROESSIG

MERSEBVRGENSIS.

L I P S I A E,
EX OFFICINA BVESCHELIA.

